

cis formatur eloquiis. Sed primo scire nos oportet quoniam, sicut puerilis aetas non movetur ad amorem passibilem, ita nec ad capienda quidem verba haec parvula et infantilis interioris hominis aetas admittitur, illorum scilicet, qui >lacte< in Christo aluntur, >non cibo forti<, et 5 qui nunc primum >rationabile et sine dolo lac concupiscunt<. In verbis enim Cantici Canticorum ille cibus est, de quo dicit Apostolus: »per-<sup>289 Lomm.</sup> fectorum autem est solidus cibus« et tales requirit auditores, qui >pro possibilitate sumendi exercitatos habeant sensus ad discretionem boni vel mali<. Et quidem >parvuli<, quos diximus, si veniant ad haec loca, 10 potest fieri, ut nihil quidem ex hac scriptura proficiant nec tamen valde laedantur vel ipsa, quae scripta sunt, legentes vel, quae ad explanationem eorum dicenda sunt, recensentes. Si vero aliquis accesserit, qui secundum carnem tantummodo vir est, huic tali non parum ex hac scriptura discribinis periculique nascetur. Audire enim pure et castis 15 auribus amoris nomina nesciens ab interiore homine ad exteriorem et carnalem virum omnem deflectet auditum et a spiritu convertetur ad carnem nutritque in semet ipso concupiscentias carnales et occasione divinae scripturae commoveri et incitari videbitur ad libidinem carnis. Ob hoc ergo moneo et consilium do omni, qui nondum carnis et san- 20 guinis molestiis caret neque ab affectu naturae materialis abscedit, ut a lectione libelli huius eorumque, quae in eum dicentur, penitus temperet. Aiunt enim observari etiam apud Hebraeos quod, nisi quis ad aetatem perfectam maturamque pervenerit, libellum hunc nec in manibus quidem tenere permittatur. Sed et illud ab iis accepimus custo- 25 diri, quoniamquidem moris est apud eos omnes scripturas a doctoribus et sapientibus tradi pueris, simul et eas, quas δευτερώσεις appellant, ad <sup>290 Lomm.</sup> ultimum quattuor ista reservari, id est principium Genesis, in quo mundi creatura describitur, et Ezechiel prophetae principia, in quibus de Cherubin refertur, et finem, in quo templi aedificatio continetur, et 30 hunc Cantici Canticorum librum. Igitur necessarium mihi videtur, antequam ad ea, quae in hoc libello scripta sunt, discutienda veniamus, de

**4** vgl. Hebr. 5, 12 — **5** vgl. I Petr. 2, 2 — **6. 7** Hebr. 5, 14 — **9** vgl. z. B. Hebr. 5, 13 — **23 ff** vgl. Harnack, Über den privaten Gebrauch der heiligen Schriften S. 50; in Num. hom. 27, 1 (Bd. II S. 256, 8); Schürer, Gesch. d. jüd. Volkes I 113f., II 409 — **28 f** vgl. Ezech. 10, 1ff — **29** vgl. Ezech. 40, 1ff

|   |   |
|---|---|
| <b>2</b> possibilem <i>D</i><br><b>Text)</b> <b>8</b> habent <i>A</i><br><b>26</b> deuterosis <i>ABCD</i> | <b>5</b> rationabiles <i>cdn</i>   et < <i>ab</i> , nach der Vulg. (= gr.<br><b>18</b> commoneri <i>Dk</i> <b>21</b> in eo <i>D, Del.</i> <b>23</b> ne <i>Ak, Del.</i><br><b>28</b> Ezechieli <i>BD, Del.</i> |
|---|---|